



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Qvæstio IX. De Scientiâ Christi in communi. In quatuor Articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Operatur figuram illius malitiæ, quæ erit in Antichristo.

Obiectio.

Dices; Diabolus est caput Antichristi, & omnium malorum: ergo Antichristus non est caput illorum; imò nec absolutè caput.

Solutio.

Respondeo, Negando Consequentiam: Sicut enim Christus est caput Ecclesiæ, & tamen Deus est caput Christi, & totius Ecclesiæ; vt patet ex Apostolo: ita Antichristus est caput omnium impiorum hominum, & tamen Diabolus est caput Antichristi, & omnium impiorum. Nam caput

politicum, potest habere aliud caput cui subest; eademque multitudo potest subesse pluribus capitibus subordinatis.

Aduerte, quosdam putare Antichristum esse caput omnium dæmonum, excepto Lucifero. Sed non videtur hoc commodè dici: Nam dæmones, maioris sunt ingenij & potentia, & regent ipsum Antichristum, non ab eo regentur. Vnde etiam si fortasse malitia Antichristi eos dæmones excederet, non tamen commodè illorum caput diceretur.

19
Non est Ca.
put dæmo.
num Luc.
fero inst.
riorum.

Q V Æ S T I O N O N A.

De Scientia Christi in communi.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus habuerit aliquam Scientiam Creatam?

Respondetur, In Christo, non solùm scientiam diuinam, sed etiam creatam fuisse. Est fide tenenda.

Affirma-
sur.

Ex Scrip-
tura.

Probatur Primò, Isaia 11, v. 2. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientia & intellectus, spiritus consilij & scientia &c.* Quod de creatis donis Spiritus sancti intelligitur ab omnibus Patribus.

Ex Concil.

Probatur Secundò, Ex Synodo VI. act. 8. *Duas in Christo naturas predicamus, & vnanquamque proprietates naturales habere constemur; diuinam, omnia qua diuina; Humanam, omnia qua humana sunt absque peccato.* Idem definitur in Concil. Lateranensi sub Martino I. consult. 5. can. 9. Idem docent Patres omnes, & Scholastici Doctores in 3. dist. 14.

Ratione.

Probatur Tertiò Ratione. Primò, Quia Christus assumpsit animam rationalem & intellectum creatum; vt supra ostensum est: ergo etiam habuit scientiam creatam, quæ est propria perfectio illius intellectus. Secundò, fide certum est, in Christo esse voluntatem creatam & humanam: hoc enim definitur contra Monothelitas in VI. Synodo act. 6. 7. & 8. & in Concil. Lateran. sub Mart. I. can. 10. 11. 12. & 13. & docent omnes Patres: ergo fuit etiam creata cognitio; cum eadem sit ratio vtriusque. Nam regula voluntatis, est cognitio: Si ergo velle, creatum est; etiam cognoscere, creatum est. Tertiò, Quia alioqui frustra intellectum creatum assumpsisset; quia nulum eius habuisset vsum.

Dices; Scientia diuina increata potuit communicari illi animæ, vt per illam cognosceret: sicut subsistentia increata fuit illi communicata, vt per illam subsisteret: ergo nihil opus erat scientia creata, sicut opus non erat subsistentia creata.

Anima
Christi ni-
hil cognos-
cit per sci-
entiam in-
creatam.

Respondeo Primò; Etsi quidam olim ita senserint; est tamen omninò impossibile. Ratio est, Quia cognitio est actus vitalis, de cuius ratione est vt procedat vitaliter à cognoscente, ipsumque vitaliter informet; vt fit in omnibus creaturis rationalibus: vel certè, vt fit ipse cognoscens per

identitatem, sicut in Deo. Nihil enim dicitur viuere, nisi vel vita ab ipso procedat, vel ipsummet sit vita: atqui cognoscere est viuere: ergo cognitio debet procedere à cognoscente, vel debet esse ipsemet cognoscens. Quare cum cognitio increata nec possit ab anima procedere, nec ipsi identificari; omninò impossibile est, vt anima per illam formaliter cognoscat.

Respondeo Secundò, Etiam si possibile esset Christi animam increatâ Sapientiâ cognoscere; nihilominus non esset neganda scientia creata, quia non se impediunt, sicut subsistentia creata & increata. Possunt enim in eodem esse plures scientiæ, non tamen plures subsistentiæ. Vtrum autem hæc scientia fuerit habitualis, an tantummodò actualis, patebit ex sequentibus. Suppono tamen illam fuisse perfectissimam, ac proinde omninò certam & euidentem, adeò vt nullus vquam actus cognitionis obscuræ aut incertæ in Christo fuerit. Sicut enim omnis actus voluntatis fuit ex virtute perficiente potentia voluntatis, ita omnis actus intellectus, fuit ex virtute intellectiua; hoc enim postulabat dignitas vnionis hypostaticæ.

3
Scientia
Christi
fuit plant
certa &
euidens.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus habuerit Scientiam Beatificam?

Respondetur, Christum habuisse scientiam beatificam, quæ animam beatam reddit, idque ab initio Cõceptionis. Probat D. Thomas ex illo Ioan. 8. v. 55. *Scio eum, & sermonem eius seruo.* Sed hæc probatio non est firma; quia loquitur generaliter de cognitione practica Dei, quæ facit bene viuere: reprehendit enim Iudæos, quod Deum non sic cognoscant: *Qui enim facit peccatum, non nouit Deum.* 1. Ioan. 2.

4
Scientia
beatifica in
Christo ab
initio Con-
ceptionis.

Probatur ergo firmiùs: Primò, Ex Scripturis. Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, quasi Vnigeniti à Patre, plenum Gratia & Veritatis:* atqui non erat plenus veritate, absque visione beatifica: Nam omnis alia cognitio, est tantum cognitio ex parte; vt patet 1. ad Corinth. 13. Christus autem non cognoscebat ex parte, sed sicut cognitus erat; id est, simili claritate, & erga Deum vicissitudine. Item habe-
bat cogni-

Ex Scrip-
turis.

bat cognitionem veritatis, sicut decebat Unigenitum à Patre: atqui docet, vt hic habeat maximè perfectam cognitionem omnis veritatis, & in primis ipsius Patris. Item, *Deum nemo vidit vquam; Unigenitus qui est in sinu Patris, enarrauit nobis.* Vbi docet, per Christum potius omnem veritatem nobis esse patefactam, quàm per Moysen; Quia nemo hominum vidit Deum, præter Unigenitum: ac proinde nemo potuit nos illa diuina mysteria apertè docere, præter ipsum. Docuit autem nos per suam humanitatem: ergo & Deum vidit per suam humanitatem. Ioan. 3. v. 11. *Quod scimus, loquimur; & quod vidimus, testamur.* Et paulò post v. 13. *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo, Filius hominis qui est in Cælo.* Id est, Nemo hominum aliquando mente cælum ascendit, quæ ibi sunt lustraturus præter me, qui secundum diuinitatem descendi de cælo, semper tamè in Cælo permanens. Ioan. 12. v. 26. *Vbi ego sum, illic & minister meus erit: vbi promittit ministris suis tamquam præmium, vt sint, vbi ipse tunc erat: atqui præmium ministrorum Christi, est esse apud Deum per visionem beatificam; vt ipse indicat Ioa. 17. v. 24. Volo, vt vbi ego sum, & illi sint; & videant claritatem meam, quam dedisti mihi ab initio: hoc est, meam diuinitatem.*

Ex Patrib. Euseb. lib. 10. de demonstratione Euangelica cap. vlt. Dicit Christum in vtero Matris habuisse omnem cognitionem, atque adeò vidisse Deum: in quam sententiam exponit illud Psalmi 21. *In te proiecitur sum ex vtero.* Athanas. serm. 4. contra Arianos ultra medium, dicit esse opinionem Pauli Samosatani, existimare illum hominem gratiâ, vel sapientiâ, vt nos, profecisse. Nazianzenus Oratione in S. Basilium 1. *Proficiebat, inquit, sapientiâ & gratiâ, non quòd incrementum acciperet, ab initio enim sapientiâ & gratiâ absolutus erat.* Idem docet Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 17. & lib. 10. Theauri cap. 7. Damascenus lib. 3. De fide cap. 14. & 22. Idem docent Patres Latini. Vide D. Ambrosium lib. 5. De fide ad Gratianum cap. 8. Vide & alios citatos supra q. 7. art. 12.

6. Probatur Tertiò Ratione: Primò, Quia Christus à principio conceptionis fuit filius Dei naturalis: ergo & hæres paternorum bonorum: ergo etiam possessor: quæ possessio est per visionem beatificam. Cur enim possessio differretur? Non enim hoc erat necessarium nostræ redemptioni, vt infra dicitur. Neque expectabatur mors paternâ, vt ait Cyrillus: nec vlla alia causa adferri potest. Secundò, Angeli, paulò post suam creationem, affecti sunt visionem Dei: ergo Christus, qui erat longè excellentior, debuit hanc statim à principio accipere. Confirmatur, quia Christus à principio fuit caput omnium hominum, & Angelorum; ergo non poterat carere visione Dei, quâ iam fruebantur Angeli: alioqui subditi fuissent sapientiores suo Capite & Principe. Tertiò, Christus venit vt esset Doctor & institutor nouæ legis, & altissimorum mysteriorum: ergo oportebat, vt hæc prius clarè vidisset, vt tamquam testis oculus possit illa mysteria docere, & confirmare. Quod insinuat Ioan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit vquam; Unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Ioan. 3. v. 11. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur.* Quarto, Quia aliqui Christus vt homo, ignorasset seipsum; quia

non cognouisset perfectè suam personam, nec modum vnionis naturæ humanæ cum persona diuina; & contrà: quia hic modus perfectè nequit cognosci sine clara notitia vtriusque extremi. Quintò, Adam, qui erat principium generis humani quoad naturam, fuit ab initio perfectus in naturalibus: ergo Christus, qui erat principium gratiæ & gloriæ in genere humano, debuit esse perfectus ab initio in vtroque. Confirmatur; Quia is qui alios erat perducturus ad perfectionem, tamquam primum principium post Deum, omninò debebat esse perfectus: ergo &c. Sextò, Vide re Deum per speculum in enigmate, est cognoscere imperfectè, & ex parte; & est sapere vt parvulus; vt docet Apost. 1. Corinth. 13. sed Christus nunquam sapuit vt parvulus; nec vquam debuit euacuare ea, quæ sunt parvuli. Nam ab initio fuit vir perfectus secundum animam, vt indicatur Ierem. 31. v. 22: *Famina circumdabis virum.* In què locum vide D. Hieronymum ibidem.

Ex his patet, quamuis fortè non sit fidei absolute, Christi Animam ab initio conceptionis habuisse visionem claram Dei; tamen est fidei proximum; ita vt contrarium sit erroneum censendum, ob Scripturas, Patres, & rationes euidentè in Scriptura fundatas.

Argumenta in contrarium, non sunt difficilia, præter pauca, quæ suis locis dissoluentur; scilicet quomodo potuerit mereri & tristari. De quibus vide plura apud Melchiorum Canum lib. 12. De locis theologicis cap. 14. vbi agit contra hæreticos nostri temporis hanc veritatem negantes.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus habuerit Scientiam Infusam?

Respondetur affirmatiuè. Notandum, Duplicem esse scientiam infusam: Alia enim est per se infusa, quæ vires naturæ superat, & non nisi infusione haberi potest, sicut fides est cognitio infusa. Alia est infusa per accidens, quæ est viribus naturæ parari potest, tamen re ipsa à Deo confertur; talis erat scientia rerù naturalium in Adamo, & Salomone.

Respondeo nunc; In Christo præter scientiam beatificam, fuisse aliam scientiam supernaturalem, ab initio conceptionis, Animæ infusam.

Probatur Isaia 11. *Flos de radice eius ascendet &c.* Vbi significatur, hoc ipso, quo flos ille ascendet de radice; id est, de Virgine, quieturum super eum spiritum Sapientiæ, & intellectus. Ioan. 1. *Plenum gratiâ & veritatis.* Atqui non fuisset omninò plenus veritate, nisi habuisset cognitionem omnium rerum, non solùm in Verbo, sed etiam in proprio genere. Nam erat capax huius cognitionis; & ipsa pertinet ad itatus supernaturalis perfectionem. Luc. 2. *Stupebant omnes in prudentia & resp. isis eius;* cum tantum esset annorum decem. Ioan. 7. *Quomodo scit hic litteras, cum non didicerit;* id est, quomodò intelligit Scripturas. Ille autem locus ad Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi;* videtur intelligendus de Christo secundum diuinitatem, iuxta Ambros. Chrylost. Theophilactum, & multos alios.

Probatur

Quinta.

Sexta.

7. Est prout inum fidei.

8

Scientia infusa Anplex.

Fuit ea in Christo.

Ex Scriptura.

9
Probatur
sex Ratio-
nibus.
Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

Sexto.

10
Non est de
Fide.

Probatur Secundo ratione. Primo, Christus obibat munus Sacerdotij & Doctoris, proprie nõ vt beatus, sed vt viator: ergo vt viator debebat esse instructus omni sapientia suis muneribus accommodatâ; ac proinde habere cognitionem infusam omnium fidei mysteriorum. Secundo, Quia Christus ab initio fuit Caput omnium beatorum, etiam Angelorum: atqui beati habent hanc cognitionem infusam: ergo multo magis Christus. Tertio, Decuit vt Christus esset perfectus omni modo sapientia, cuius erat capax: atqui erat capax non solum cognitionis rerum in Verbo, sed etiam in proprio genere; quæ cognitio est magna perfectio supernaturalis, nullo modo repugnans cognitioni beatificæ, sed illi potius conueniens. Quarto, In Angelis præter cognitionem matutinam, quæ est cognitio rerum in Verbo, est etiam vespertina, quæ est cognitio rerum in proprio genere: & omnes beati habent hanc cognitionem: ergo multo magis Christus, qui supremum gradum beatitudinis obtinet. Quinto, Christus habuit actus liberos quoad exercitium amoris Dei, reuerentiæ, humilitatis &c. ergo proponebat & apprehendebat Deum per aliquam aliam cognitionem distinctam à beata: nam quatenus apprehenditur per scientiam beatificam, necessarid amatur, colitur, & mens se illi submittit. Sexto, Christus in voluntate habuit omnes virtutes supernaturales ad perfectionem voluntatis pertinentes; vt ostensum est supra q. 7. art. 2. ergo in intellectu habuit omnem cognitionem supernaturalem, id est, virtutem supernaturalem, quæ perficitur intellectu.

Aduerte tamen, etsi hæc sententia sit probabilissima, contraria tamen non est erronea, aut etiam temeraria: Nam quidam Doctores in 3. dist. 14. videntur hanc scientiam infusam supernaturalem negare, existimantes sufficere beatificam, & naturalem per accidens infusam. Ita D. Bonaventura, Scotus, Richardus. Et ex parte Gabriel cum Occamo, sed valde parum est probabilis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Christo fuerit scientia Acquisita?

11
In Christo
fuit scien-
tia Acquisi-
ta.

Respondetur affirmatiue. Probatur; quia alioqui intellectus agens, cuius munus est abstrahere species intelligibiles à phantasmatibus, fuisset in Christo otiosus. Notandum, certum esse in Christo fuisse Scientiam aliquam acquisibilem humanam industriam, eiusdem ordinis cum scientia nostra. Ita enim tenent omnes Doctores in 3. dist. 14. Sed est

D V B I V M.

Vtrum Christus hanc Scientiam suam industriam acquisierit: An verò à Deo acceperit ab initio Conceptionis infusam?

12
Quidam
excent
Christum

Quidam existimant Christum per proprios actus in ipso momento conceptionis totam hanc scientiam comparasse: tunc enim diuinam virtute habuisse ipsum omnium rerum naturalium phan-

tasmatam, & ex illis elicuisse omnes species intelligibiles, quibus in eodem momento elicerit perfectos actus omnium scientiarum. Sed hæc sententia non est probabilis, vt supra q. 7. a. 2. dub. 4. diximus de virtutibus moralibus acquisitis; quia non sunt ponenda huiusmodi miracula sine necessitate.

Alij censent Christum in principio caruisse scientiam humanam; eò quod illi ætati non sit debita. Vnde illam carentiam non censi ignorantiã, sed puram negationem: progressu verò ætatis, sensim eam comparasse; ita vt in singulis ætatibus, eam haberet perfectionem, quam tunc conueniebat habere. Ratio illorum est; tum, quia alioqui intellectus agens, frustra fuisset in Christo: tum, quia perfectus est habere hanc scientiam à se, quàm ab alio; & habere eam modo naturæ accommodatam, quàm peregrino. Ita D. Thomas hic, cum Caietano, & Thomistis, & quibusdam alijs.

Sed Dicendum est, longè verius & probabilius esse, Christum ab initio conceptionis habuisse omnem hanc scientiam naturalem à Deo infusam; Sicut habuit Adam omnium iudicio. Ita communiter Doctores. Alexander Ales. 3. p. q. 13. Bonaventura, Scotus, Durandus, Richardus, Gabriel, Paludanus in 3. dist. 14. & D. Thomas ibidem q. 3. §. Ad quintam quæstionem, idem tenuit; Et in Quæstionib. de veritate q. 20. a. 2. quamuis hæc sententiam mutarit.

Probatur Primo, Ex Patribus supra citatis q. 7. a. 12. d. 3. & hæc q. a. 1. qui comuni consensu dicunt Christum non profecisse Sapientiam, nisi secundum demonstrationem, & actum exteriorè. Quod si verè acquisiuit aliquam sapientiam, sicut nos; non erat necessarium confugere ad incrementum secundum operationem: Nam propriissimè in ipso habitu scientiæ profecisset.

Probatur Secundo, Ratione; Primo, Quia hæc scientia est summa perfectio naturalis animæ, nullo modo repugnans vnioni hypostaticæ, aut visioni beatificæ, aut statui viatoris, aut officio Redemptoris: ergo nullo modo decuit eam prætermitti. Confirmatur, Quia Patres communiter docent Verbum assumptis Animam in naturalibus perfectissimam.

Secundo, Quia Adam ab initio habuit omnem hanc scientiam: similiter Angeli, & beati. Ergo multo magis Anima Christi. Nec satisfacit quod ait Caietanus, Adam fuisse principium generis humani quoad naturam, & ideo in naturalibus debuisse esse perfectum: Christum autem non fuisse principium naturæ, sed gratiæ & bonorum supernaturalium; & ideo debuisse tantum in supernaturalibus esse perfectum. Nam Christus erat etiam fons completionis bonorum naturalium: siquidem euerfo statu innocentia, nemo sine auxilio gratiæ, totam legem naturæ seruare, aut omnem veritatem naturalem intelligere potest. Vnde etiam ipse hanc naturalem perfectionem omnino completam habere debebat, sicut & virtutes supernaturales: Nam ipse horum omnium per suam gratiam nobis est auctor.

Tertio; longè perfectius & optabilius est habere omnem cognitionem à principio infusam, quàm sensim suo labore comparare; præsertim cum accipiendi illam à Deo, non ab alio acceperit quàm à seipso. Vnde sicuti gratiam habuit ab initio,

initio, ita & hanc scientiam; quia non minus hæc scientia est ipsa naturalis, quam gratia. Sicut enim gratia dicitur Christo naturalis, quia debita naturæ humanæ sic Verbo unitæ, & Verbum vi suâ contulit illam naturæ assumptæ; ita & hæc scientia naturalis dicitur, imò amplius, cum sit perfectio naturalis humanæ naturæ.

16
Quarta.
Ab initio.
uenienti.

Quartò, Si Christus illam studio comparare debuisset; sequeretur Primò, Multum laboris & temporis in eo ponendum fuisse. Nam hæc scientia, ex rerum quæ sub sensum cadunt; consideratione & collatione; mediante ratiocinatione ducitur: atqui non decet Christum cælestium Doctorem, infimarum rerum consideratione & inuestigatione occupari. Secundò, Sequeretur ipsum per totam vitam non peruenisse ad culmen huius scientiæ. Nam opus est longissimo tempore, vt quis omnia experiatur: Christus autem non diu vixit, & interim pauca est expertus circa res naturales; v. g. genera animalium, plantarum, & eorum quæ in visceribus terræ latent; quæ tamen experientia, id est, per sensus cognitio, necessaria est vt humano more scientia comparetur. Quòd autem Caietanus infra quæst. 12. artic. 1. vult persuadere ministerio Angelorum res omnes ipsius sensibus obiectas, vt ex illis philosopharetur; parum est probabile. Præterea, multa sunt quæ egent obseruatione longissimi temporis; vt ea quæ pertinent ad Astrologiam. Denique discursus humanus maximè in Mathesi procedit in infinitum, ita vt solâ industriâ humanâ non possit perueniri ad terminum.

17
Quinta.

Quintò, Quia Christus habuit virtutes morales ordinis naturalis infusas ab initio, vt supra dictum est, & D. Thomas fatetur: ergo etiam scientias naturales. Patet consequentia, quia non est ratio, cur voluntas debuerit potius in ordine naturæ esse perfecta, quam intellectus. Confirmatur, Quia cum virtutibus moralibus necessariò debuit infundi prudentia, quæ ad intellectum pertinet: atqui prudentia omnino perfecta, supponit perfectam cognitionem principiorum moralium, & eorundem conclusio- num; item perfectam cognitionem animæ humanæ, & omnium eius motuum: ergo omnem hanc cognitionem naturalem habuit Christus à principio: ergo etiam ceteras scientias; præfer-

tim cum vna scientia non sit omnino perfecta sine alia.

Denique, Quia Christus à principio conceptionis utebatur ratione: ergo fuit optimè dispositus intellectu ad illum usum; ac proinde per habitus scientiarum. Antecedens docet D. Augustinus lib. 2. De peccatorum meritis & remissionibus cap. 29. vbi ait in Christo infante non fuisse impedimentum vsus rationis, quod in alijs parvulis cernitur. Cuius ratio est, quia tum ratione vnionis, tum ratione beatitudinis, debebatur illi Animæ corpus ex omni parte perfectum: vnde non oportebat, vt admitterentur in eo aliqui defectus, nisi quatenus id necessarium erat ad nostram redemptionem: atqui hic defectus corporis, quo impeditur vsus rationis, nullo modo erat necessarius ad nostram redemptionem, quin potius erat contrarius: ergo corpus infantile non impediēbat vsum rationis, aut sensuum interiorum. Vnde sequitur, Christum infantem potuisse vti ratione, cum conuersione ad phantasmata, id est, phantasiâ simul cooperante, & efformante id, quod ratio intelligebat. Nam facilè poterant sensuum organa, diuinâ virtute corroborari ad hanc functionem; ita vt vis illa quæ deerat organis ob defectum siccitatis, diuino auxilio suppleretur. Sicut ad breue tempus accidit in Ioanne Baptista.

18
Sexta.
Christus
à primo
infanti
conceptio-
nis habuit
vsu[m] ra-
tionis.

Nunc respondendum ad rationes contrariæ sententiæ. Ad Primam, Eodem argumento probaretur, intellectum agentem fuisse superuacuum in Adamo; nam accepit à Deo omnes scientias, non autem operâ intellectus agentis; similiter & in omnibus parvulis qui moriuntur ante vsum rationis; nam nullam scientiam industriâ humanâ acquirunt. Quare dicendum est, potentiam non esse superfluum, quæ ad naturæ integritatem pertinet, etsi diuinitus præueniatur, vt nunquam operetur. Addo; Intellectum agentem, non esse reipsâ distinctum ab intellectu possibili, quo intelligimus: vnde licet non habeat illam functionem, quæ est species intelligibiles comparare, (quam operationem solam habet ob defectum naturæ) habet tamen functionem præcipuam, quæ est, scientiâ vti. Ad Secundam, Patet ex dictis in argumento tertio; perfectiùs enim est habere ab initio, quam sensim suo labore comparare.

19
Responsio
ad contra-
rias senten-
tias.

Q V Æ S T I O X.

De Scientia Beata Animæ Christi.

In Quatuor Articulos diuisa.

NOta, Ex dictis constare in Christo esse quadruplicem scientiam; scilicet Diuinam, Beatificam, Infusam, & Naturalem. Itaque agit de cuiusque perfectione; omnes enim in Christo fuerunt summæ, & secundum intensionem, & secundum extensionem. Verum de scientia diuina, dictum est in 1. parte quæst. 14. vnde solùm agit de reliquis tribus.

ARTICVLVS I.

An Anima Christi comprehenderit Verbum?

Respondetur; Anima Christi non comprehendit Verbum, siue diuinam essentiam. Est certa, & communis omnium Doctorem. Vi-

2
Negatur,
detur

G g